

+ 32,8.

Einladungs - Programm

zur

Oster - Prüfung

der

Schüler aller Klassen

des

Königl. Gymnasiums zu Brieg
Montag den 17. und Dienstag den 18. April 1848

Anfang Vormittags um 8 Uhr, Nachmittags um 2 Uhr.

Ausgegeben

von

Dr. Karl Ernst Georg Matthißen,

Direktor und Professor des Königl. Gymnasiums,
Ritter des R. A. Ordens IV. Kl.



Inhalt.

- 1) Urkunden zur Geschichte des Hedwigstiftes und des Gymnasiums zu Brieg, vom Professor R. Schönwälder.
- 2) Jahresbericht über das Gymnasium von Ostern 1847 bis Ostern 1848, vom Direktor.

Druck von C. Falck in Brieg.

9br
41 (1848)

2.22 +



Urkunden zur Geschichte des Hedwigsstiftes und Gymnasiums.

In den geschichtlichen Ortsnachrichten von Brieg und seinen Umgebungen ist Theil II Seite 187 der Urkunden erwähnt, auf welchen die Geschichte des Domstiftes zur heiligen Hedwig beruht. Sie finden sich nirgends gesammelt und sind zum Theil dem Untergange nahe gewesen. Das Gymnasium, als Miterbe des Stiftes, darf es als eine Pflicht der Dankbarkeit betrachten, diese Dokumente für die Nachkommen aufzubewahren. Sie folgen hier in chronologischer Ordnung, wörtlich treu nach den angegebenen Quellen, doch mit neuer Orthographie und Interpunction.

Schönwälder.

N 1.

Bischof Precislaus bestätigt den 24. Januar 1371 das vom Herzog Ludwig gegründete Domstift. (Aus den Acten des Pfarramtes.)

In nomine Domini. Nos Prezlaus Dei gratia Episcopus Wratislaviensis ad rei memoriam sempiternam. Ad hoc Deus omnipotens rex regum et dominus dominatum principes saeculi in excellentioris gradus culmine collocavit eosque altis decoravit honoribus et multiplici praerogativa muneris insignivit, ut cognoscentes sibi tantorum donorum gratiam divinitus attributam, velut clara luminaria inter sydera refulgentes, sponsam ipsius regis summi sanctam ecclesiam orthodoxam amplificent et repraesentatione digna, subsidiis muniant opportunis. Hoc igitur princeps inclytus dominus Ludovicus Dux Silesiae et Dominus Brigensis inter claustra pectoris sui recensens volensque pro tantis beneficiis tantaeque benedictionis filius largitori omnium honorum digne juxta possibilitatis suae modulum respondere, ad laudem omnipotentis dei ejusdemque genitricis Mariae Virginis benedictae nec non in honorem Sanctae Trinitatis et beatae Hedwigis patronae et ducissae terrarum Silesiae et progenitricis principis memorati ecclesiam collegiatam in fundo contiguo et annexo castro civitatis suae Brigensis, Wratislaviensis nostrae dioecesis, pie et rationabiliter de novo fundavit, instituit et erexit perpetue duraturam, donans siquidem et assignans incorporansque et approprians dominus dux praefatus pro dote sive dotis nomine eidem ecclesiae collegiatae ejusque Praelatis et Canonicis praesentibus et futuris hortum circa dictum castrum retro turrim majorem situm versus valvam Beatae Virginis dictam cum sua circumferentia intra fossam et murum civitatis cum pleno et perpetuo dominio et perfecta libertate ecclesiastica, nullo penitus jure, potestate seu dominio, mero vel mixto, supremo vel infimo, sibi aut suis haeredibus sive quibuscunque successoribus in ejusdem horti spatio penitus reservato, excepto tamen, quod idem dominus dux jam dictum spatium pro communi circa dicti sui castrum quam civitatis et etiam eorundem ca-

nonicorum pace, commodo et quiete muro circumdare et firmare possit, ut intendit; ita videlicet, quod praedicti praelati Canonici ac eorum successores hujusmodi spatium de caetero titulo verae proprietatis habere et possidere structurasque ipsis necessarias aedificare, domos, habitationes, scholas, cimiterium atque in usus suos utiles et meliores convertere debeant ac valeant, prout illa fuerint opportuna.

Ad quae omnia et singula magnifici principis et domini Henrici ipsius domini ducis Ludovici primogeniti et haeredis legitimi consensus accessit et beneplacitum speciale. Voluit autem idem dominus dux Ludovicus, quod nullus haeredum seu successorum suorum vel Praelatorum seu Canonicorum supra dictam ecclesiam mutare vel ad alium locum transferre praesumant in aeternum. Sane quia jam daute domino memoratus dux Ludovicus pro collegio capituli ecclesiae praelibatae decanatum et nonnullos canonicatus et praebendas infra scriptas per modum subscriptum ordinavit et erexit in ipsa, quorum jus patronatus seu etiam jus praesentandi ad ipsum suosque haeredes ac successores legitimos debeat perpetue pertinere. Unde disposuit et decrevit, quod debeat esse unus decanatus seu decanus et duodecim canonici pro tempore praesentati, ordinati et ad hoc temporibus futuris per ipsum dominum ducem seu suos heredes vel legitimos successores per dei gratiam creandi, oriundi ac etiam disponendi, ita videlicet, quod proventus ecclesiae parochialis in Bresmir nostrae Wratislaviensis dioecesis cum ipsius ecclesiae jure universo uniri, annecti et incorporari debeant decanatu dictae ecclesiae collegiatae, cujus quidem ecclesiae parochialis dominus Petrus Poduscha plebanus et rector modernus debeat in decanum collegiatae ecclesiae supra dictae praefici et assumi. Canonicatus vero ejusdem ecclesiae dominus dux Ludovicus praedictus creari et ordinari voluit in hunc modum: ita quod primo de canonicatibus eisdem unienter, applicentur et incorporentur redditus altaris quondam in dicta ecclesia in Bresmyr fundati et erecti, nunc vero in Bregam translati, cujus minister est dominus Jacobus de Runzindorf canonicus Lubecensis. Secundo vero canonicatui unientur et incorporentur redditus altaris, quod dominus Johannes dictus Claus in eadem ecclesia collegiata habet et possidet cum redditibus, quos dominus Boleslaus Nicolaus de Boleslavia tenet, qui post mortem domini Nicolai ejusdem etiam ipsi secundo canonicatui applicentur, cui quidem secundo canonicatui cura animarum ejusdem collegiatae ecclesiae committatur. Tertio vero et quarto canonicatibus approprientur et unientur viginti marcae annui census, quos felicis recordationis dominus episcopus Tribunicensis emit et ad ipsam collegiatam ecclesiam legavit et tribuit, quos etiam ejusdem domini episcopi nepos possidet atque tenet, de quibus viginti marcis census dum vacaverit, duo instituantur canonici, quorum quilibet habebit decem marcas census ejusdem. Quinto autem et sexto canonicatibus unientur et incorporentur redditus viginti marcarum pro ministro hospitalis Bregensis deputati, quos consules Bregenses pro parte ejusdem hospitalis persolvere consueverunt, quos etiam dominus Johannes Sartoris de Brega possidet et integraliter habebit usque ad mortem suam temporalem aut quoad usque voluntarie et notorie resignabit, de quibus jam dictae collegiatae ecclesiae jam debet esse canonicus, ita tamen, quod minister ejusdem hospitalis permaneat ut prius, per se vel per alium idoneum vicarium in eodem hospitali ministrando; post cujus vero domini Johannis mortem aut sui canonicatus et dicti hospitalis ministerii resignationem voluntariam et expressam mox in continenti de dictis viginti marcarum redditibus pro ministro supra dicti hospitalis assignatis duo canonicatus jam eriguntur, ad quos duo idonei sacerdotes aut clerici ad praesentationes dicti domini ducis Ludovici

et haeredum seu successorum suorum debent institui ac etiam investiri, quorum quilibet decem marcas dictorum reddituum habeat et ambo mansionem seu domum ministri hospitalis tenentes aequalibus alternatis vicibus ministerio ipsius hospitalis divinis in officiis et in administratione sacramentorum pro infirmis, ut hactenus est consuetum, insistere fideliter teneantur et ad hoc ut canonici memoratae ecclesiae constitutionibus obedire.

Practerea adjecit idem dominus dux, quod decanus et canonici ecclesiae collegiatae praedictae in ipsa ecclesia perpetuis temporibus debeant personaliter residere, nisi ex speciali licentia nostra aut episcopi Wratislaviensis pro tempore existentis absentia cuiquam ipsorum concedatur. Et quia, quod jus patronatus omnium praedictorum beneficiorum ad ipsum dominum ducem pertinuit et pertinet, voluit ut idem jus patronatus eorundem decanatus, canonicatum ad ipsum dominum ducem ac legitimos successores debeat, quoties vacaverint in solidum vel divisim, jugiter pertinere. Decevit insuper idem dominus dux, quod quoties dictus decanatus vacaverit, ipse aut sui haeredes seu legitimi successores ad eundem decanatum idoneum clericum debeant praesentare, qui etiam praesentatus si sacerdos non fuerit, intra annum suae praesentationis continuum tenebitur ad gradum sacerdotii promoveri. Et si ejusmodi praesentatus aestimatione non idoneus censeretur, extunc examinationi domini episcopi Wratislaviensis deputari debeat et secundum suum arbitrium abjici vel assumi, loco cujus idem dominus dux aut sui haeredes seu legitimi successores alium magis validum et aptum poterunt praesentare. Si itaque per ipsum dominum ducem vel suos haeredes et legitimos successores vacantibus canonicatibus praedictis quispiam aut aliqui praesentati fuerint minores, hic aut tales, postquam vigesimum quintum annum ipsorum aetatis attigerint, ad gradum sacerdotii etiam promoveri, nisi specialis licentia domini episcopi hoc admittat. Et quod decanus investire habeat vicarios et coercere eosdem in dicta collegiata ecclesia jurisdictionemque obtineat in ipsos et utatur eadem, qua utitur decanus Wratislaviensis ecclesiae cathedralis, atque specialiter per ipsum decanum magister scholarum peritus, morigeratus, idoneus et honestus, non ignavus et discolus de consensu sui capituli institui debeat et assumi, quotiescunque hoc fuerit opportunum. Decevit insuper praenotatus dominus dux, quod redditus et proventus annui pro necessitate communi capituli dictae ecclesiae deputati vel quos in posterum deputari contigerit, firma ac perpetua et irrefragabili soliditate subsistant nec per cujuscunque haeredum vel successorum suorum praesumptionem seu machinationem destitui debeant seu etiam impediri quomodolibet. Secundum tamen tenores literarum super hujusmodi redditus confectarum et conficiendarum in futurum, constitutiones quoque et ordinationes capituli et vicariorum ecclesiae collegiatae praedictae conforment se in omnibus constitutionibus et ordinationibus personarum hujusmodi ecclesiae cathedralis praefatae et ut nobis et domino episcopo, qui pro tempore fuerit, saepe dictum capitulum immediate subjectum existat, eodemque habitu choralis personae ejusdem ecclesiae uti debeant, quo personae Wratislaviensis ecclesiae uti et indui in ecclesia consueverunt nec idem habitus de caetero per quempiam immutetur nec Praelati, canonici, vicarii, altaristae ac magistri scholarum ejusmodi ecclesiae sine habitu ipsam ecclesiam intrare praesumant.

Considerans itaque dominus dux praefatus quod quanto majoribus nexibus instituta salubria fuerint solidata, tanto minus ipsorum corrumpi potuerint fundamenta, nobis devota precum instantia supplicavit, ut cum ipse suam dispositionem nimium desideret efficaci et perpe-

tua firmitate feliciter perdurare, in votisque gerat, illo duce primo, qui pro temporalibus subsidiis sine fine mansura largiatur, dictam collegiatam ecclesiam ejusque collegium ulterioribus gratiarum honoribus insigniri, ad praedicta omnia et singula Nostrum et Wratislaviensis capituli beneplacitum et consensum praebere nec non curam animarum ex consensu Crucigerorum ordinis S. Johannis Jerosolimitani Hospitalis in conteratis quibusdam et plateis ipsi ecclesiae collegiatae resignatam, prout ipsae conteratae et plateae in literis consensus dominorum et fratrum Crucigerorum ecclesiam parochialem in Brega regentium et superiorum horum clarissime sunt descriptae, unire et annectere fontemque baptismatis in eadem ecclesia collegiata erigere et in ea sacramenta plena parochiali jurisdictione et auctoritate degentibus hominibus ministrentur auctoritatis nostrae robur adjicere dignemur.

Nos vero petitionibus ipsius tanquam rationabilibus atque justis, quantum cum deo possumus, grato cupientes annuere exauditionis consensu, praesertim cum progenitores principis supra dicti arbitremur insignes munificentias Wratislaviensi ecclesiae liberaliter praestitisse, de fratrum nostrorum Capituli Wratislaviensis consensu omnia et singula in singulis punctis, capitulis et articulis superius conscripta, designata, ordinata et disposita per dominum ducem praefatum ex certa scientia admittimus, approbamus, authorisamus et praesentibus confirmamus auctoritate nostra ordinaria et potestate, volentes, et decernentes firmiter et expresse quatenus eadem omnia et singula, taliter perpetuo duratura consistent, quod a nemine, cujuscunque status, sexus, praecminentiae, dignitatis seu conditionis fuerint, unquam debeant violari. In nomine patris et filii et spiritus sancti et in hujus rei evidentiam, pleniorum certitudinem praesentes literas fieri jussimus et nostro praedictique principis ac domini ducis Ludovici atque dominorum capituli Wratislaviensis sigillis sigillari. Actum et datum Wratislaviae in generali capitulo, quod apud Wratislaviensem ecclesiam circa festum Sancti Vincentii Martyris et Levitae generaliter celebrari consuevit. Nono Calendas Februarii anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo primo, praesentibus honorabilibus dominis: Jacobo Praeposito, Theodorico Decano, Simone Scholastico, Nicolao Custode, Ottone Cantore, Laurentio Haltlibi, Conrado de Confungen, Dietmaro de Meckenbach, Nicolao de Schelendorf, Jacobo Augustini, Johanne Brunonis, Clementis de Wansaw, Ottone de Schulkowitz, Petro de Kursankowitz, Wenero de Czeteras, Henrico Hopphonis, Joanne de Frankenstein, Nicolao de Regnitz et Ladislao de Bogsbach, ecclesiae Wratislaviensis supra dictae ad sonum campanae ut moris est capitulariter congregatis.

№ 2.

Bischof Precislaus schenkt unterm 21. November 1375 dem Capitel der Hedwigskirche von seinen Tafelgütern das Gut Nieder-Dttag bei Ohlau. (Aus den Stiftsacten.)

In nomine dei Amen. Nos Pretzlaus dei gratia Episcopus Wratislaviensis ad perpetuam rei memoriam. Inter caetera, quae nostris humeris ex pastoralis sollicitudinis incumbunt officio, illis praecipue curam adhibemus pervigilem, quae praecipuarum ecclesiarum ac colle-

giorum honorabilium nobis jure ordinario subjectorum commodum, honestatem conspiciunt et profectum. Debita igitur consideratione pensantes statum honorabilis collegii sive collegiatae ecclesiae Sanctae Hedwigis Bregensis nostrae Wratislaviensis dioeceseos permodo exilem, videlicet quo Praelati capituli et capitulum ejusdem ecclesiae tenues redditus in communi habeant et proventus, nec juxta ipsius ecclesiae dignitatis exigentiam distributiones et consolationes in altis ecclesiis elargiri consuetas, quibus ecclesiarum ministri ad interessendum divinis officiis et personalem residentiam faciendam apud ecclesias peramplius attrahuntur: Nos, qui nostris temporibus divinum cultum in dei ecclesia adaugeri cupimus, ad laudem et honorem ipsius dei omnipotentis et beatae Hedwigis electae, sub cujus vocabulo dicta ecclesia constructa est laudabiliter et fundata ac ad votivam precum instantiam Illustris Principis Dn. Ludwici Ducis Silesiae et Domini Bregensis et Lobinensis ejusdem ecclesiae fundatoris, ut Praelati et Capitulares ad interessendum divinis officiis celebrandis in ipsa ecclesia fortius invitentur, bona nostra et ecclesiae Wratislaviensis in Otak inferiori districtus Olaviensis dictae nostrae dioeceseos, quae adjacent bonis spectantibus ad castrum Jeltz, quae dominus Johannes de Nymptz bonae memoriae in gratiam obtinebat a nobis, superiori tamen Otak sive secundo Otak specialiter et omnino excluso, cum agris, pratis, silvis, nemoribus, rubetis, piscaturis, piscinis, lacubus, nihil excluso penitus seu excepto, pleno jure, dominio et utilitate prout eadem bona ad nos et nostram episcopalem mensam ab antiquo pertinuerunt et pertinent et prout ipse dominus Johannes de Nymptz a nobis in gratiam et ad vitae suae tempora habuit et possedit et quemadmodum praedicta bona in suis limitibus ab antiquo circumferencialiter sunt distincta, praefatae collegiatae Bregensi ecclesiae et ipsius capitulo pro habendis quotidianis distributionibus sive consolationibus, accedente ad hoc honorabilium fratrum nostrae Wratislaviensis ecclesiae capituli expresso beneplacito pariter et consensu, per ipsum capitulum tractatu solemniter praehabito, in generali capitulo etiam capitulariter saepius repetito, dedimus irrevocabiliter patentibus et donamus habenda, tenenda et futuris temporibus possidenda, incorporantes, inviscerantes, appropriantes et adjungentes perpetuo bona hujusmodi cum universis suis praescriptis pertinentiis quibuscunque etiam possent nominibus appellari ecclesiae Bregensi et ejus capitulo. Memoratis harum quibus nostrum et dicti Wratislaviensis ecclesiae capituli majora sigilla appensa sunt testimonio. Actum et datum Wratislaviae in generali capitulo, quod in festo dedicationis dictae nostrae Wratislaviensis ecclesiae celebrari consuevit, XI Calendarum Decembris Anno domini millesimo CCCLXX quinto, praesentibus honorabilibus viris dominis Jacobo de Patzkow Praeposito, Theodrico de Slatona Decano, Ottone de Bruno Cantore, Praelatis, Dytmaro de Mechinbach, Jacobo Augustino, Nicolao de Pinkow, Ottone de Schutkowitz, Petro de Kursantkowitz, Johanne Bervici de Frankenstein, Illustri Principe duce Silesiae ac domino Lignicensi domino Wenceslao, Dytcone de Poznania, Conrado de Plawe, Nicolao Fromelini, Petro Michaelis de Brega, Czamborio de Pogrella et Johanne de Luthmoschil (Leutmischel), Canonicis ecclesiae Wratislaviensis ad sonum campanae capitulariter congregatis.

Sigillum.

Sigillum.

Herzog Ludwig erwirbt von der Stadt den Stiftsplatz und schenkt ihn, von allen Abgaben und Lasten befreit, an das Domkapitel 1377.
(Aus dem ältesten Stadtbuche p. 103.)

Privilegium dominorum canonicorum et capituli super libertate domorum suarum.

In nomine domini Amen. Nos Ludwicus dei gratia dux Silesiae dominus Bregensis et Lobinensis ad universorum notitiam tenore praesentium volumus devenire, quod consideratis dudum defectibus ex carentia domorum, mansionum et habitationum pro residentia honorabilium virorum dominorum decani et canonicorum ecclesiae collegiatae beatae Hedwigis in nostra civitate Bregensi, quibus defectibus cultus domino omnipotenti deo digne in eadem ecclesia exhibendus minui posset aut negligentius committi et diligenter pensatis et considerato quod habitationes et domus hujusmodi in cimeterio ipsius ecclesiae prout primordialis fundationis confirmationisque litera continet, non possint nec debeant aliquando construi nec aedificari propter aritudinem cimeterii supradicti, nude defectibus hujusmodi praevincere cupientes dictam collegiatam ecclesiam seu nostram fundationem totis viribus votoque ferventi semper latius promovere volentes, de maturo nostrorum vasallorum seniorumque consilio et de expresso consensu et assensu dilectorum nobis consulum, juratorum, magistrorum operariorum omnium totius communitatis civitatis nostrae Bregensis antedictae, ob progenitorum nostrorum animarum et nostrae et dilectissimi primogeniti filii nostri Henrici animarum salutem et remedium perh (?) nire, damus et tradimus ex nostra liberalitatis munificentia domos, mansiones, areas et habitationes situatas ac locatas a dextris per valvam beatae Mariae virginis gloriosae dictam nostram civitatem Bregensem intrando inclusive incipiendo, et ab acie primae domus, qua nunc dominus decanus ejusdem ecclesiae moratur, ulnatim centum et decem et septem ulnarum sursum in longitudine ascensus ejusdem plateae beatae virginis in parte anteriori et non ultra in aliqua parte computando cum arcibus, aedificiis et curiis pro nunc constructis et in posterum construendis prout ecclesiae, domus, curiae et areae in suis metis et terminis ab antiquis temporibus circumferentiali (?) sunt locatae sic tamen expresse, quod via pro ductu curruum inter eundem murum civitatis et retro fines domorum, arearum et curiarum praedictarum ad minimum septem ulnarum et inter murum et aciem domus domini decani praeter anteriorem ad minimum novem ulnarum, in parte vero posteriori domus ejusdem domini decani similimodo septem ulnarum pro curribus et defensione atque munitione civitatis nostrae Bregensis saepedictae habeatur, sicut antiquitus est consuetum, et easdem domos, curias et areas damus et tribuimus liberas ab omnibus exactionibus, contributionibus et ab omni pretio vigilum nec non ab omnibus oneribus quarumcunque exactionum pecuniarum aut tributi laborum aut servitorum, quibuscunque nominibus possint nominari, honorabilibus viris dominis decano et capitulo dictae collegiatae ecclesiae sanctae Hedwigis in Brega cum talibus libertatibus, ut praedictum est, et non pluribus neque majoribus in perpetuum habendas, possidendas ac eas cum per mortem aut resignationem alicujus canonici aut cujuscunque clericorum quotiens vacare contingat, secundum debitam taxam in capitulo dotatam alteri canonico aut cuicumque de gremio ejusdem

ecclesiae existenti secundum quod decanus et capitulum decreverit pro eadem taxa dandam aut dandas. Tamen adjicimus, quod dicti canonici capitulumque dictae ecclesiae sanctae Hedwigis atque clerici, eorum familia seu inquilini in saepedictis domibus, habitationibus, arcis et curiis habitantes, non debeant aliquod opus mechanicum nec aliquas urbarias exercere neque pro pinare aliquos potus nec quidquam talium facere, quod in detrimentum civitatis nostrae dictae vergere videatur. Pro quibus enim domibus, habitationibus, arcis et curiis et libertatibus earundem quaedam nostra bona villae Lubusche nostri districtus Bregensis adjacentia dilectis nostris Consulibus, Juratis, Senioribus, Operariis et toti communitati dictae civitatis nostrae Bregensis prout in literis nostris pro ipsis et eorum successoribus desuper confectis continetur lucidius, in recompensam dedimus coaequatam perpetue duraturam. — Nos vero Consules civitatis Bregensis ante dictae Peschko de Czindal, magister civium, Niczko Conrad, Hanko pistor, Nicolaus Leman, Petrus Renczonis et Tylo de Tempilfeld, tam nostris quam futurorum Consulium nominibus, ob reverentiam sanctae ac beatae Hedwigis patronae nostrae praelectae ad mandatum et preces ob favorem et gratiam quam Magnificus princeps et dominus noster gratiosus praedictus dux Ludwicus nobis semper exhibuit et adhuc in futurum concedente domino exhibebit, cum scitu et consilio maturo nostrorum Seniorum, Juratorum, Scabinorum, magistrorum operariorum videlicet pannicidarum, textorum, carnificum, brasiatorum, pistorum, sartorum et sartorum totiusque communitatis dictae nostrae civitatis consensu in dictam donationem domorum, arearum, curiarum et earundem libertatem ut praedicitur unanimi consilio consentimus et assentimus ipsasque domos, curias et areas cum earum pertinentiis, ut pronuntiat, ab omni exactione, contributione et ab omni pretio vigilum nec non ab omni onere cujuscunque contributionis, laborum aut servitiorum liberae et solutae dimittimus perpetuis temporibus duraturas. In cujus rei testimonium et perpetuae firmitatis robur praesentes sigillis nostro et dilectorum nobis consulium civitatis nostrae Bregensis praedictae fecimus roborari praesentibus strenuis et validis viris fidelibus domino Henrico de Rechenberg, domino Hankone Mlecz militibus, Frederico de Solez, Theodrico de Redirn, Hankone Jezir, Nicolas Omen et Mathia de Frankenstein nostrae civitatis notario, qui praesentia habuit in commisso. Actum Bregae in castro, feria sexta infra Octavas sanctorum Petri et Pauli apostolorum, anno domini millesimo trecentesimo septuagesimo septimo.

N. 3b.

Herzog Ludwig tritt ein Stück Leubuscher Wald an die Stadtgemeinde ab zur Entschädigung für die Befreiung des Stiftsplatzes.

Litterae super donatione agrorum villae Leubusch adjacentium pro recompensa libertate domorum et mansionum canonicorum sanctae Hedwigis in Brega. (Aus den Stadtturfunden.)

In Gottes Namen Amen. Wir Ludwig von Gottes Gnaden Herzog in Schlesien und Herr zum Brieg, zur Ohlau und zur Löwin (Lüben), bekennen öffentlich in diesem Briefe allen denen, die ihn

sehen oder hören lesen, daß wir in guter Vernunft, mit wohlbedachtem Muthe, mit unserer lieben getreuen Eltisten Rathe von unserer Fürstl. Gnaden und von sonderlicher Gunst, die wir zu unsern lieben getreuen Bürgern unserer Stadt zum Briege haben, umb daß die armen Leute zum Leubusch an ihrem Acker und Erbe zu kurz hätten, darumb sie sich nicht wohl genähren möchten und auch nemlich (vornehmlich) darumb, daß dieselben unsere Bürger unseres Dechant's und unserer Lumberren Häuser zum Briege frei gelassen haben alles Geschoßes und aller Gülde, als das in unserm und eurem Brief geschriben ist, haben gegeben von unsern Haiden ein Stück von dem Wege, der da geht von der Bürger Walde gerichte zu bis wider den Hobil, der da leit bei dem Wege, den man zeut von Leubusch gegen Mangschütz und von demselbigen Hobil gerichte herüber den Weg gegen Mangschütz bis gegen den andern Hobil, der da lit uf die linke Hand und denne von demselben Hobil tiefer nus über bis in den Grund und den Grund vor sich niederwärts bis an die Linde, die do lit an dem Bruche und von der Linden gerichte zu vorder (förder) bis uf der Leubuscher Graben. Dieselbe Grenze wir auch selber geritten und gegrenzt haben mit großen Koppen und haben die geschüttet, daß wir bei gewest sin, und sie haben geheissen schütten und machen; und haben dieselben Grenzen zugesagt und gegeben mit allen Nutzen und Genüssen, mit all dem das in den Grenzen lit, mit Weiden, mit Holze, mit Wasser und mit aller Zugehörunge nichts ausgenommen der Stadt zum Briege und derselben Leuten zum Leubusch ewiglich zu besitzen und zu genießen von uns und unsern Geerben und ehelichen Nachkömmlingen ungehindert. Des zu vesten Bestätigungen und Sicherheit haben wir offnbaren diesen Brief versiegeln heissen geben mit unserm Ingesiegel zum Briege am Sankt Jakobs Abende des heiligen Zwölfboten nach Gottes Geburt tausend dreihundert Jahr in dem sieben und siebenzigsten Jahre. Dabei sein gewest unsere lieben Getreuen Herr Heinrich von Reichenberg, Herr Hanke von Mlez die Väter, Friedrich vnn Sulz, Dyhke Baruth, Dytrich von Redirn, Nize Dmen und Herr Thomas von Gobin Thumherr zum Briege unser Schreiber, dem dieser Brief befohlen ward.

№ 4.

Bischof Wenzel von Breslau, Nefte des Herzogs Ludwig, bittet im Namen seines Oheims 1384 den Papsst Urban 6. um Bestätigung des Hedwigsstiftes.

Supplica ad Sanctissimum Papam Urbanum VI. Wenceslai Episcopi Wratislaviensis ex fratre Ludowici nepotis wegen dem Briegischen Collegiatstift de anno 1384 pro confirmatione papali. (Aus den Pfarracten.)

Sanctissimo in Christo Patri et D. D. Urbano divina providentia Papae sexto Wenceslaus dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Wratislaviensis nec non capitulum ecclesiae Wratislaviensis obedientiam devotissimam et se ad pedum oscula beatorum humiliter provolutos. Eximiae munificentiae, a quo omne datum optimum et perfectum, deus omnipotens ex divitiarum sapientiae et scientiae suae inaestimabili altitudine eos dignatione benigna

insignibus effert titulis et praerogativis extollit magnificis, quos infallibili sua novit providentia, utpote beneficii accepti memores remissuros in ipsius gazophylacium, quod ab ipso ex gratia receperunt. Quare ad Vestrae Beatitudinis tenore praesentium deferimus notionem, quod Illustris princeps Ludovicus dux Silesiae, dominus Bregensis, Lubensis, Creuzburgensis, Vestrae Sanctitatis devotissimus filius olim de salute propria cogitans et cupiens terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, cultum divinum pro suae potentiae modulo summo conanime satagens adaugeri pro suo, suorum primogenitorum haeredum quoque et successorum animarum salutari remedio, ecclesiam collegiatam sub honore et vocabulo sanctissimo Trinitatis et individuae Unitatis ac beatae Hedwigis electae, de cujus stipite ipse dux traxit originem, in suo fundo castro Bregensi Wratislaviensis dioecesis contiguo de novo fundavit et pulchris muratis et sculptis aedificiis sumptuoso opere magnifice consummavit, in ipsa quoque ecclesia hujusmodi decanatum, ut praclaturam, seu etiam dignitatem pro decano, duodecim canonicas praebendas pro duodecim canonicis, tredecim vicarias pro totidem vicariis, sacrista et magistro scholarum officiis de novo creari per venerabilem in Christo patrem Precislaum episcopum Wratislaviensem defunctum novissime (1376) ac capitulum Wratislaviensis ecclesiae nono Kalendis Februarii de anno domini millesimo trecentesimo septuagentesimo primo in generali capitulo, quod secundum consuetudinem ipsius ecclesiae singulis annis immediate post festum beati Vicentii Martyris et Levitae celebrari consuevit et tunc celebratum more solito extitit: pluribus capitularibus tractatibus super eo digestis, praehabitis ecclesiarum parochialium in villa Praesimir dictae dioecesis de collatione ipsius ducis tanquam fundi naturalis domini existentis vicario perpetuo ipsius aulae congrua portione, unde statum bonum habere poterit, jura quoque episcopalia solvere ac alia subire onera sibi incumbentia reservata, de voluntate plebani ibidem in Praesimir videlicet domini Petri Poduschka decanatu supradicto nec non infra scriptos census ecclesiasticos, proventus. bona, villas, haereditates, possessiones, obventiones pro canonicarum praedictarum praebendis ac sustentatione congrua decani, canonicorum, vicariorum, sacristae et magistri scholarum incorporari, inviscerari, annecti et uniri obtinuit isto modo: Imprimis videlicet, quod decanus habere debeat decimas campestris de octuaginta mansis agrorum in Praesimir villa praedicta, item tres mansos agrorum sub aratro sibi solventes duodecim marcas census annui et perpetui ibidem in Praesimir, unum mansum agrorum in villa Frauenhan solventem sibi quatuor marcas census similis. Item sex marcas et tres fertones in fertonibus decimalibus in Lewinrod et Dietrichsdorf prope Frankenstein, item unam marcam census annui in villa Popelwitz, villis dioecesis supradictae. Vicario perpetuo dictae ecclesiae in Bresimir duobus mansis fertilium agrorum liberis ab omni solutione, quocunque vocentur nomine, per ipsum ducem emptis, dicto Vicariatu perpetuo per dictum episcopum autoritate ordinaria incorporatis legitime et unitis cum offertorio se ad minus (?) ad marcas duodecim extendente, tredecim maldratis annonarum messalium cum opilionatu seu pastura ovium et duobus hortis ibidem pro suis sustentatione et praemissis supportandis oneribus reservatis. Prima nunc praebenda, quam nunc habet Dn Joannes Peterwitz, habet octo marcas census annui et perpetui super octo mansis in parvo Weißferau et unam marcam similis census in eadem villa super exactione ducali. Secunda praebenda habet decem marcas in villa Schiraslawitz. Tertia praebenda habet decem marcas in praetorio

civitatis Bregensis. Quarta praebenda habet decem marcas in eodem praetorio civitatis Bregensis. Quinta praebenda habet octo marcas census in villa Nemyu et sex marcas in villa Weiffenwiz. Sexta praebenda habet duodecim marcas in praetorio civitatis Bregensis super stuba balnei in Olavia, duas marcas in Frauenbain, duas in antiquo Weifferau, tres in Conradswaldau, duas in Michelwitz, unam in Gredlitz, unam super scultetiam in antiquo Weifferau, villis dioecesis Wratislaviensis supradictae. Septima praebenda habet undecim marcas cum fertone in Schwoike et unam in Pölschwiz. Octava praebenda habet decem marcas in villa Virbin. Nona praebenda habet sex marcas in villa Presig et tres marcas in Hayn et duas census similis in Gröbelwiz. Decima praebenda habet octo marcas in Mechwiz. Undecima praebenda habet decem marcas in Serfenau. Duodecima praebenda habet septem mansos agrorum solventes undecim marcas census annui et perpetui, liberi ab omni penitus servitute. Dotavit insuper de novo custodiam, pro cuius dote ipse dux donavit allodium suum in Schwoike de quatuor mansis cum omnibus suis pertinentiis, nullis penitus exceptis seu exclusis.

Prima autem vicaria, in quam institutus est Vincentius Wartenberg presbyter, habet sex marcas census perpetui super media villa Groeningen. Secunda vicaria, quam ex institutione ordinaria habet dominus Petrus de Wartenberg, habet quinque marcas census annui super quatuor mansis agrorum in Gaupitz. Tertia vicaria, quam ex praemissa institutione obtinet Sigismundus, habet tres marcas in Sylwitz et quatuor marcas census annui in antiquo Peiskerau. Quarta vicaria, quam habet dominus Petrus Schoenfeld, habet septem marcas in Virbitz et duas marcas in Hayn census annui et liberi ab omni servitute. Quinta vicaria, quam habet dominus Petrus Mecket, habet octo marcas in Conradswaldau, unam marcarn in Talbendorf et tres fertones super una curia videlicet Heinzkonis de Olavia in longa platea civitatis Bregensis. Sexta vicaria, quam etiam obtinet ex institutione ordinaria Nicolaus Brasiator, habet tres marcas super tribus mansis agrorum in Michelwiz et tres marcas in Eubendorf. Septima vicaria, quam habet dominus Joannes de Irakowitz, habet quatuor marcas in Kreifewiz, duas marcas in Bressmir et unam super bonis sculteti in Frauenbain, duas marcas in Kurau, duas marcas super Lossen sito super Eigen et unam marcarn in Stoberau. Octava vicaria, quam ex supradicta institutione obtinet Georgius de Grotgau, habet duas marcas in Weifferau antiquo, unam marcarn in Schoenau, duas marcas in Giesmansdorf, unam marcarn in Jenckowitz et unam in Michelwitz. Nona vicaria, quam obtinet dominus Conradus de Moensterberg, habet decem marcas in majori Peiskerau census annui et perpetui. Decima vicaria, quam obtinet etiam ex institutione praedicta Michael, habet quinque marcas in Zedlitz, unam marcarn et mediam in Komniz et unam in Czirbardorf et Moenckenau. Undecima vicaria, quam obtinet dominus Joannes Tempelfeld, habet duas marcas in Schydelwitz super foresto, duas marcas in villa Köchern, duas marcas in Baumgarten, unam in Jenckowitz, mediam in Nemyu. Duodecima, quam obtinet dominus Nicolaus Molendinator ut supra habet quinque marcas in Zauschwiz census perpetui. Tredecima videlicet domini Petri Kreisewitz habet octo marcas in Kuntschwiz. Sacrista habet in universo sedecim marcas, in Michelwitz duas cum dimidia, in Lorenzdorf marcas quatuor, in Krausenau marcas quinque cum dimidia, in Mangschwiz marcarn unam, in Smardin marcarn unam, in Baumgarten marcarn unam et in Pampitz marcarn unam. Rector autem scholarum habet decem marcas super notaria provinciali districtus Olaviensis, marcas quatuor in villa Solasvis, sex marcas census perpetui. Omnes autem census et redditus supradicti sunt solvendi ab hominibus dicti ducis ditioni subjec-

tis. Dedit autem dux praedictus donatione irrevocabili perpetuis temporibus duratura redditus et census sequentes pro distributionibus cottidianis divinis interessentibus distribuendis, duntaxat: in Presimir villa praedicta marcas duas, in Baumgarten prope Olaviam marcam mediam, in Birkendorf marcam unam, in praetorio civitatis Bregensis marcas viginti, in Korwa marcas tres et mediam, in Konradswalde marcas quinque, in Thomaskirche marcas quinque, in Guffititz marcas quatuor, in Gießmansdorf marcam unam, grossos XII, in Gaula marcas tres, in Heyde marcas tres, in Jenckwitz grossos XII, in Jacobin marcam unam, in Kochwa marcas duas, in Michelwitz marcam unam, in Olavia marcam unam grossos XII, in Oels in Super Eigen marcas quatuor, in Ottag marcas duas, in Pampitz marcas decem, in Peiskerau marcas decem, in Schmarldtau marcam unam et mediam, in Schoenau marcas duas, in Schwoikau marcam unam, in foresto marcas duas, in Wuerbin marcas duas, super curiam Heinkonis de Haynovia in dicta civitate Bregensi marcam unam, in Stoberau marcam unam, in Mangschitz marcam unam, in Jenckowitz marcam unam, in Schoschowitz marcas duas et mediam, in Michelwitz super bonis Joannis et Pauli Guentheri marcas duas. — Dedit insuper et donavit dictus dux donatione simili suprascripta pro luminibus et ornamentis ecclesiae census et redditus infra scriptos videlicet in Peiskerau antiquo marcas decem, in Schoenfeld marcas quinque, in Kraußenau marcas duas, in Conradswaldau marcam unam, super quodam macello in civitate Bregensi marcam unam, in Peißerau marcam unam. — Donavit etiam dux praedictus capitulo dictae collegiatae ecclesiae in communi et simili, qua supra, donatione est irrevocabiliter elargitus villas Ottag et Presimir cum omnibus et singulis juribus, libertatibus et dominiis supremo et infimo, quadraginta VIII mansos agrorum in Conradswaldau et quinque mansos in Michelwitz nec non allodium in Schuetzendorf Lignicensis districtus cum universis et singulis mansorum et allodii hujusmodi pertinentiis, fructibus, utilitatibus, obventionibus, juribus et libertatibus, quibuscunque vocabulis nuncupantur, perpetuis temporibus per ipsos et capitulum possidenda. Dedit etiam dominus dux dicto capitulo in Swoikau et in majori Peiskerau jus haereditarium eo jure, quo ipse habuit, tenuit hactenus et possedit. Donavit insuper dictus dux ipsi ecclesiae et ejus capitulo hortum circa castrum retro turrim majorem situm versus valvam sive praedictae civitatis portam beatae virginis nuncupatam cum sua circumferentia intra fossatum et murum civitatis ipsius cum pleno et perfecto dominio ac ecclesiastica perpetua libertate, nullis penitus jure, libertate, dominio sibi ac suis haeredibus seu quibuscunque suis successoribus in ejusdem horti spatio reservatis, ita videlicet, quod praedicta ecclesia et ejus capitulum ipsius horti totam aream deinceps jure et titulo proprietatis habere et inibi sibi domos ac mansiones, scholas, caemiterium et alias structuras ipsi necessarias aedificari valeant prout ipsis et capitulo videbitur expedire. Voluit quoque dictus dux ac de consensu et voluntate expressa plebani dictae civitatis Bregensis, cui debitam pro eo satisfactionem impendit, effectualiter ordinavit, quod ipsa ecclesia collegiata habeat, sicut et habet, fontem baptismalem, sepulturam propriam ac plebem ipsi ecclesiae collegiatae jure parochiano subjectam. Praeterea ordinavit dux praedictus, quod nullus beneficiariorum dictae ecclesiae suum beneficium permutare valeat nisi prius ordinarii et ipsius seu successorum suorum super hoc petita licentia et obtenta, nec pro se nisi ex causa legitima locare valent suas vices gerentem sed potius ipsi beneficiati, admissi ad hujusmodi beneficia ut idonei, apud ipsam ecclesiam residentiam personalem faciant, altissimo in devoto humilitatis spiritu obsequentes.

